

# DE VITA AETHI

GAUDENTII F.

DISSERTATIO.

---

## PARTICULA POSTERIOR,

QUAM

AUCTORITATE AMPLISS. PHILOSOPHORUM ORD.

PRO VENIA LEGENDI

IN

CAESAREA UNIVERSITATE DORPATENSI

RITE IMPETRANDA

CONSCRIPSIT ATQUE LOCO CONSUETO

PUBLICICE DEFENDET

**DR. AUG. HANSEN.**



---

DORPATI LIVONORUM MDCCCL.

TYPIS HENRICI LAAKMANNI.

563 210

### IMPRIMATUR

haec dissertatio sub conditione, ut simul ac typis excusa fuerit, quinque exemplaria collegio ad libros explorandos constituto tradantur.

Dorpati mens. Sept. d. IX. a. MDCCCXL.

*Dr. Schmalz,*  
h. t. Ord. Philos. Decanus.

### VII. Aetius Consul.

Quantus vel tum Consulatus fuerit honor, qui omnibus praeponebatur fastigiis dignitatum, quum e legibus colligatur,<sup>94)</sup> tum inde apparet, quod Imperatores inter tot gradus ac nomina honorum hunc unum indignum non duxerunt, quem cum maiestate sua coniungerent.<sup>95)</sup> Constat etiam, alterum Consulem Romae, alterum Constantinopoli creari solitum esse. At, quod mihi videtur, moris fuisse, ut Consul Romanus Romae adesset, nescio an non idoneis probari possit documentis;<sup>96)</sup>

---

94) Cod. Theod. T. II. p. 73. Gothofr.

95) Claudian. in Consulat. Fl. Mall. Theod. Panegyri v. 257. 258. — de laudib. Stil. II. v. 288. 289.

96) Nec leges, quas consului, nec Gothofredi commentarii hanc quaestionem tangunt.

quamquam, quin pacis munus consulatus tunc habitus sit, et Actius ad eum subeundum Romam se contulerit, vix quisquam dubitet.<sup>97)</sup> Exercitui interea in Gallia praecerat Litorius Comes.<sup>98)</sup> Magistrum Militum in Aetii locum suffectum non esse certum est; occultis enim Placidia consiliis Bonifacium, tum in Africa rem adversus Vandalos improspere gerentem, cupiebat nominare. Leges huius anni (432) in Cod. Theod. tres tantum exstant, prima data Ravennae IX. Kal. Apr., Aetio et Valerio Coss., secunda Constantinopoli V. Kal. Apr., Valerio et qui fuerit nuntiatus,<sup>99)</sup> tertia

97) Alterum ex Claud. de laud. Stil. II. init. apparet:  
 Hactenus armatae laudes, nunc, qualibus orbem  
 Moribus et quanto frenet metuendus amore,  
 Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes  
 Induerit, fastisque suum concesserit annum,  
 Mitior incipiat fidibus iam Musa remissis. —  
 cfr. Merob. paneg. v. 31:

Sic tranquilla togae recipit dum praemia ductor  
 Pacatamque iubet lituos nescire curulem etc.  
 Alterum eo probatur, quod Aetio, si in Gallia consul fuisset cum imperio Bonifacio in Italiam trans-eunte, cedendum ac fugiendum non fuisset.

98) Tir. Prosp. Chr. Theod. XVII. Festo Coss.: Litorius, qui secundae ab Aetio Patricio potestatis, Hunnis auxiliantibus praecerat.

99) Nisi a librariis erratum est in diebus, mirari possis, qui factum sit, ut Cpoli ignoraretur, Aetium esse

Constantinopoli Valerio et Aetio Coss. III. Id. Iun.<sup>100)</sup> Ex his quod ad rem nostram pertineat, nihil apparet. Frustra etiam quaeras apud scriptores, quae causa fuerit subitae mutationis rerum, qua de summo honore deiectum, expulsam patria, vix consulatum functum Aetium videbimus. Nam quae de eius superbia tradunt recentiores, coniecturae sunt, haud scio an relictendae,<sup>101)</sup>

creatum. Sed non desunt exempla, quibus probetur, consulem etiam post initum annum ab Imperatore esse creatum. Eadem lex, in Cod. Iust. repetita, subscriptos habet Valerium et Aetium.

100) Cod. Theod. Gothofr. T. III. p. 372 sq. T. II. p. 127. 140. — Memorabile esse videtur, eam quae Ravenna data est, legum Occidentis in Cod. Theod. novissimam esse, quum reliquae Orientis sint. — Scriptae his Coss. epist. Papae Coelestini ap. Baron. tom. V. p. 610. C. 611. E. 612 D. 616. E. Quod praeterea ex his epistolis intelligimus, dictum esse Aetium gentili nomine Flavium, idcirco videtur esse commemorandum, quod hominum nobilium inde a Constantini M. tempore amplius dimidia pars, barbari autem tantum non omnes, qui inter Romanos stipendia faciebant, Flavii dicebantur. Nomen, quod et Constantini et Theodosii familiarum fuit, idem barbaris, civitate donatis, inditum fuisse opinor, sicut Corneliiis, Iuliiis antiquis temporibus.

101) Ruhnken. diss. II. cap. 5. p. 206. opuscul.: Nam cum A. plus iusto sibi assumere videretur, neque

quum Placidiae irae altiores causae subessent. Memor enim Padusiae ac Felicis interfectorum,<sup>102)</sup> quos ulcisci cupiebat, nec fidens Aetio, aliquando hosti, uti constituebat eius consulatu, quo ab exercitu separatus, qui eum unice adamabat, inermis fere in Italia esset. Sperabat igitur, fore, ut Bonifacio, spectatissimae fidei viro, posset sine contentione Gallias administrandas tradere.

### VIII. Bellum inter Aetium et Bonifacium geritur.

Etenim, dum haec aguntur, Bonifacius, Comes Africae, cunctam fere provinciam suam amisit, quamquam Orientis quoque copiis, Aspare duce, defendebatur;<sup>103)</sup> quibus victis Hippo urbs capta est a Vandalis, ut iam sola Romanorum esset Carthago. At ne eam quidem defendere conatus Bonifacius subito in Italiam navigavit. Quod nisi secretis Placidiae precibus fecisset, cuius alioquin timenda erat ira, omissa provinciae defensione, pro hoste habendus atque excipiendus fuisset.

---

esset quisquam, qui tantos ei spiritus reprimeret etc. Papek. p. 70.: Placidia, der jetzt die Macht und das Betragen des Aetius verdächtigt geworden war.

102) Diss. I. p. 49.

103) Procop. Vandal. I. 4. ed. Bonn. p. 327.

Quem quum Magistrum Militum creari<sup>104)</sup> et Patricium<sup>105)</sup> Aetius videret, modo functus consulatu (a. 433), quin ad suam perniciem haec agerentur, non dubitavit.<sup>106)</sup> Galliam igitur sua

---

104) Prosp. Pith. ao. Valent. IX.: Consulatu Aetius edito Bonifacium, qui ab Regina accitus ex Africa fuerat, declinans ad munitiora conscendit. — Idat. e. a.: Bonifacius, in aemulationem Aetii per Placidiam evocatus in Italiam ad Palatium redit, qui depulso Aetio in locum eius succedens etc.

105) Apud unum hoc legitur Marcellinum. Sirmond. p. 276 inf.: ingens bellum inter Bonifacium et Aetium Patricios gestum est. (Quamquam Aetium demum post bellum finitum Patricium creatum esse invenimus.) Pluralem numerum tuetur etiam p. 277. med.: Bonifacii, quondam Patricii, gener.

106) Quod ad numum pertinet, quem exhibet Ducange Fam. Byzant. p. 19. nimis absurdum mihi videtur, eum, qui modo egregiam provinciam amiserat, triumphante mdescribi atque omnium oculis proponi. Numus si genuinus est, rectius ad Placidiae reditum post victum Ioannem referatur. Id autem dubitari nequit, quod aut non vidit aut dicere neglexit Niebuhrius, ad has res pertinere tertium et quartum fragmentum panegyrici Merobandis. „Fingit poeta, divam aliquam nocentem, pacis taedio correptam, omnia miscere et turbare;“ quae, cur de his temporibus maxime dicta esse putemus, causa est, quod aula quoque Imperatoria in societatem fraudium deducitur: paneg. v. 58

virtute defensam atque sustentatam ne Bonifacio traderet, redit ad exercitum; pax summorum dum aemulatione turbatur.<sup>107)</sup> Instat Bonifacius;

nobilis et nostris miscebitur aula procellis; tum v. 89 sqq. His instructa dolis Palatia celsa subibo,  
Maiorum mores et pectora prisca fugabo  
Funditus atque simul nullo discrimine rerum  
Spernantur fortes, nec sit reverentia iustis.

Haec de Aetio expellendo dicta esse apertum est. Iam de Bonifacio:

Indignis contingat honos et pondera rerum  
Non virtus sed casus agat tristisque cupido:  
Pectoribus saevi demens furor aestuet auri.

Quae hic de Bonifacio mala referuntur, ut a pagnyrista, ne quem decipiant, adeat Olympiod. fragm. extr. *καὶ ἀπλῶς εἰπεῖν παντὶ τρόπῳ πολλῶν βαρβάρων καὶ διαφορῶν ἐθνῶν ἀπήλλαξε τὴν Ἀφρικὴν. ἦν δὲ καὶ δικαιοσύνης ἐραστὴς καὶ χρημάτων κρείττων* etc. Invenio etiam apud Augustinum, Castinum, quem supra (I. p. 29.) vidimus infestissimum fuisse Bonifacio, quum in exilium mitteretur, refugium apud illum et quaesivisse et accepisse.

107) Ad Merob. verba v. 62. „pace sub annosa“ Nieb. haec adscripsit: „Iam vero de pace annosa, praesertim illis temporibus, verba fieri, prorsus mirum videtur.“ Recte quidem, si de rerum scriptore dixisset; quae enim pax post M. Aurelium fuit annosa? At vel Prosper de hoc ipso tempore loquens totius orbis pacem ac consensionem mirabilem dixit. Num

congregiuntur; Aetius praeparato pridie longiore telo vulnus mortiferum infligit Bonifacio, attamen superatur, Sebastiano, Bonifacii genero, in soceri locum succedente.<sup>108)</sup> Clade accepta Aetius paululum inter suos moratus, quum insidias sibi strui intellexisset, per Dalmatiam Pannoniamque ad Hunnorum regem Rugilam (Ruam alii dicunt) se contulit.<sup>109)</sup> Gentem, apud quam obses fuerat

propter haec Merobaudis verba Niebuhrium fugit, quo haec referenda essent?

108) Marcell. Com. ap. Sirm. p. 276. inf.: tertioque mense Bonifacius vulnere, quo sauciatus fuerat, emoritur, Pelagiam uxorem suam, valde locupletem, nulli alteri, nisi Aetio ut nuberet, exhortatus. — Prosper paucos post dies morbo extinctum esse dicit; Idatius, „depulso Aetio, inquit, in locum eius succedens, paucis post mensibus, inito adversus Aetium conflictu, de vulnere, quo fuerat percussus, interit.“ Haec, aut similia, male intellexit Marcellinus Comes, quum post pugnam tertio mense obiisse Bonifacium dicat. Ceterum ea omnia, quae retulimus, et plura quae iam sequentur, ab Idatio in unum annum 432 conficiuntur. At et discrepant reliqui, et vix potest credi, ista omnia, inde a pugna qua fugati sunt Franci, usque ad Sebastiani exilium, eodem anno gesta esse. — Ubi victus sit Aetius nemo refert, in Gallia id factum esse opinor.

109) Prosp. — Res Hunnorum, quae tum maxime fuerint, non tango; erant plures reges, praetereaue duces commemorantur, quos sunt qui cum regibus con-

puer, quam et ad opem ferendam Ioanni, et ad invadendum Orientem <sup>110)</sup> excitaverat, nullo opere ad novam expeditionem suscipiendam permovit, pollicitus pretium Pannoniae partem, quae Savo flumine alluitur. <sup>111)</sup> In Romanorum auxilium excitantur Gothi. <sup>112)</sup> Sed Hunnorum copiis accitis tanto fortior Aetius exstitit, ut Sebastianum, iuvenem praecipitem, eiiceret atque Constantinopolin aufugere cogeret. Inde post aliquot annos, insidias vitatum, ad Gothos evasit, cepit Barcinonem, unde expulsus Africam petiit, tandem a Genserico, „vastum viri animum metuente,“ occisus est. <sup>113)</sup>

fuderint. Breviter et quantum fieri potuit perspicue congregavit unum in locum omnia Tillem. VI. p. 136. cfr. p. 606. not. 15.

110) Hoc me fugit, quum disp. part. I. §. 4. scriberem. At dubitari nequit; testis est Socr. VII. 43.

111) Ὁρέστης, ὃς τοῦ Ῥωμαικοῦ γένους ὢν ὤκει τὴν πρὸς τῷ Σάω ποταμῷ Παλιόνων χώραν, τῷ βαρβάρῳ παρὰ τὰς Ἀετίου στρατηγοῦ τῶν Ῥωμαίων συνθήκας ἑπαχοδοῦσαν. Haec a Prisco (p. 146 é. ed. Bonn.) relata, non habemus ubi aptius collocemus.

112) Quod, quamquam solus refert Prosp. Pith., quum per se vero simile est, Romanos barbaros contra barbaros movisse, tum etiam mox videbimus Gothos interim arma movisse.

113) Differt Idatius a reliquis. Etenim ad a. Val. XX = 444. (Sirm. p. 237. A.) haec omnia adscripsit, quae

Nihil igitur relictum Placidiae, nisi ut Aetium, in gratiam receptum, pristinae dignitati restitueret; additus Consulari honor Patriciatus. <sup>114)</sup> Hunni Romanorum milites facti; Rugilae Pannonia quae promissa erat data; Aetius ad exercitum rediit in Gallias.

#### IX. Aetius Burgundiones coercet et Bagaudas.

Interea, absente Aetio, quum res Romana per Bonifacii et Sebastiani bellum vehementer esset

supra memoravi. Contra Marcellinus ad a. 435. Sebastianus, inquit, urbe Augusta fugit, atque in Africa interemtus est. — Haec qui iungere velit, ut congruant, ab Idatio altius repetitum initium, a Marcellino occupatum esse finem dicat necesse est. Cfr. Prosp. — Victor de persec. Vand. I. 6. Papenk. p. 76. Memoratur Sid. Ap. carm. IX. v. 277.

114) Idat. Aetius, D. U. M., Patricius appellatur. — Prosp. Pacem Aetius interpallatae (Chron. Aug. „interpallatae,“ quod in additum honorem cadit, nisi „interpallatae“ malls) potestatis obtinuit. — De Patriciatus, non minore illo quidem, quam Consulatus. sed quem nulli, nisi summis muneribus functi, assequi solebant cfr. Gothofr. ad Cod. Theod. II. p. 72. sqq. — Prisc. p. 213. ἐν τοῖς πατρικίοις, οἱ δὲ τὰς ἀρχὰς ἀναβεβήκασιν πάσαις.

perturbata, omnis fere Gallia strepere coepit armis. Gothos Placidia excitaverat, Burgundiones in finitimam sibi provinciam irruebant, rebellabant Bagaudae. Ad Gothos superandos Litorius Comes missus est Hunnis auxiliantibus, contra reliquos Aetius ipse dux movet exercitum. Priores igitur aggressus Burgundiones facile superavit, pacem regi Gundicario supplici dedit.<sup>115)</sup> Bagaudae<sup>116)</sup>

115) Prosp. Aug. — Cassiod. — Iisdem fere verbis uterque.

116) Ferunt, iam C. Iulium Caesarem Bagaudarum castellum condidisse haud procul Parisiis. Bouq. III. p. 565. 566. in vita S. Baboleni. — Certo invenitur nomen apud Eutrop. IX. 13. (ed. Tauchn. c. 20.) Aur. Vict. de vir. ill. c. 39. etc., etiamsi verum esse videtur, quod Chphoro Cellario placet (Duod. Paneg. veteres. Halae Magd. 1703. p. 8. 179.) iam Claudio Getico imperante tale bellum exarsisse. Plurima collegit Scalig. ad Euseb.; du Bos. (hist. crit. monarch. Franc. II. 2. a. v. Bouq. I. f. 565. not. c.) et du Cange gloss. med. et inf. Lat. s. v. Is nomen a voce Celtica bagad = turba derivandum esse dicit. Qui nuper maxime de rebus Celticis scripsit Diefenbachius duobus locis Bagaudam commemorat; I. p. 19. ubi de voce Ambactus disserit, tum p. 195. Magis mihi placet, quod Pottium sequens (etymol. Forschungen I. 235.) et Graffium (Sprachschatz III. 25.) priori loco posuit, Bagaudam e radice Sanscritica bhakta (i. q. serviens), prodidisse, tum quoniam haud raro scribitur Bacauda (Oros. VII. 25. Vacauda). tum

nomen, Gallis agrestibus inditum, qui propter intolerabiles vexationes iniuriasque magistratum in silvas confugerant, et servis, qui accesserant taedio dominorum crudelium, late patuit. Reperiuntur in Gallia, in tractu Aremorico, ad Alpes, ad radices Pyrenaei saltus tam Gallicas quam Hispanas.<sup>117)</sup> Qui, quamvis saepe dicerentur superati atque pacati, tamen usque insurgabant. Armorum gens, cetera insolens,<sup>118)</sup> et regionis natura defensa, post Exuperantium<sup>119)</sup> saepissime rebellis, nuper a Litorio victa,<sup>120)</sup> tamen et Aetio negotium facescebat, quum omnis Gallia ulterior rebellione

quod e fugitivis Bagaudas conflatos esse antiqui referunt. Salvian. de gub. Dei VII. (Coll. max. Patr. T. VIII. p. 360.) cfr. Merob. paneg. v. 160 sqq. — Gibbon c. XIII.

117) De Alpibus testis est Zos. VI. 2. (ed. Bonn. p. 319.) anno 406: *σὺν πολλῶ διεσώθη πόνω, τὴν λείαν ἄπασαν δωρησάμενος τοῖς περὶ τὰς Ἀλπεις ἀπαντήσασιν αὐτῷ Βακαύδαις, ὅπως ἐβρονχωρίας παρ' αὐτῶν τύχη τῆς ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν παρόδου.* — De ceteris locis mox dicemus.

118) V. S. Germani ap. Bouq. I. f. 642. Offensus enim superbae insolentia regionis vir magnificus Aetius etc.

119) Diss. I. p. 37. not. 67.

120) Sid. Ap. paneg. Av. v. 246. Litorius — — subacto Celsus Aremorico.

infestaretur. <sup>121)</sup> Tibatone <sup>122)</sup> et aliis ducibus captis, his interfectis, illis in vincla coniectis, seditio composita visa est. <sup>123)</sup> Rebelles ne penitus exstingueret, obstitit Aetio Litorii gravissima clades. (439.)

**X. Litorii clades. Aetius Gothorum victor.**

Nam dum haec aguntur, Narbonem obsidione a Theodorico per XIV menses clausum, fame laborantem, Litorius Comes utroque periculo exemit. <sup>124)</sup> Qua victoria elatus, non amplius cedendum Aetio ratus, maiores copias parare, insistere cedentibus, Gothorum regnum penitus evertere conari, aggredi Tolosam, pacem supplicibus non

121) Id primum diserte refert Prosp., tum inde apparet, quod Merob. Aremorium usque ad Gothorum fines protendit. Paneg. v. 14. 15.

122) Prosp. — Tibatonem in Battonem mutavit Sigeb. ad a. 437 et 442, ut simillimum nomen sit principum rebellionis Dalmatiae et Pannoniae, quam Tiberius composuit. Vellei. Pat. II. 110. 4; 114. 1.

123) Merob. pan. v. 8.

Lustrat Aremoricos iam mitior incola saltus:  
Perdidit et mores tellus assuetaque saevo  
Crimine quaesitas silvis celare rapinas etc.

124) Siquidem per singulos equites binis tritici modis advectis strenuissime hostes in fugam vertit et civitatem annona adiuvit. Prosp. ad a. Val. XIII = 437. — Liberatam ab Aetio urbem falso refert Idat.

dare. Etenim fretus Hunnorum auxilio vatumque paganorum promissis, hora quam prosperrimam iudicaverant, impetum fecit in urbem. Gothi, pro aris dimicantes et focus, hostium saevorum ferocitate incitati, summa virium contentione excurrunt adversus irruentes, fugatis Hunnis Litorium capiunt saucium, atque in urbem, quam eodem die victor constituerat intrare, abductum trucidant. <sup>125)</sup> Quum tanta clade Gallia finitima, quae Romanorum erat, pateret, Theodorico, regni fines usque ad Rhodanum promovere conanti, non pugnandum sed migrandum esse videbatur. <sup>126)</sup> Nam Hunni, duce privati, vagi per inermem provinciam praedabantur. Quibus auditis Aetius omissis Bagaudarum reliquiis appropereavit, fugavit primum Hunnos, <sup>127)</sup> deinde ad montem Colubrarium <sup>128)</sup>

125) Pleni sunt libri huius cladis descriptione. Salv. de gub. Dei V. (cfr. Bouq. I. f. 782.) Prosp. — Idat. — Cassiod. — Cfr. Isid. Hisp. Hist. Goth. aera 457. Errores haud paucos immistos offendet in vita S. Orientii episc. Auscior. ap. Bouq. I. f. 643 inf.

126) Sid. Ap. Pan. Av. v. 300 sqq.

127) Etiam hos vicisse putandus est Aetiùs, si recte interpretor Sidon. Apoll. Pan. Av. v. 344:

fac, optime, Chunos,

Quorum forte prior fuga nos concusserat olim,  
Bis victos prodesse mihi.

128) Qui ubi situs sit, doctiores videant geographi. Equidem frustra quaesivi.

Gothos, pacem petentibus dedit, Avito, Galliae Pr. Pr., oratore.<sup>129)</sup> Haec gesta eodem anno sunt quo Carthaginem Geisericus dolo invasit. (439.)

**XI. Aetius consul iterum.**

Aetii secundum consulatum, quamquam iam anno 437 gestum, omisimus, ne brevi otio bellorum

129) Sequutus sum Prosp. ad a. 439.: Pax cum Gothis facta, quum eam post ancipitis pugnae lacrimabile experimentum humilius quam unquam ante poposcissent. — Contra Sidonius paneg. Aviti

299. Nil prece, nil pretio, nil milite fractus agebat Aetius.

306. — — — Postquam undique nullum Praesidium ducibusque tuis nil, Roma, relictum est,  
Foedus, Avite, novas; saevum tua pagina regem  
Lecta domat; iussisse sat est te quod rogat orbis.

Addit autem ipse poeta:

Credent hoc unquam gentes populique futuri?

Fateor me omnino hoc non magis credere, quam quod idem ep. VII. 12. narrat, Gothorum regem ferocissimum, quem Aetius non potuisset praelio depellere, per Ferreolum ab Arelatensium portis esse *prandio* remotum. Satis mihi videor tribuisse Avito ut oratori. — Huc etiam pertinet Merob. locus, qui in

clamorem interciperemus. Legem eius anni unam habemus, post Consulatum Isidori et Senatoris subscriptam, Codicis Theodosiani novissimam, si eam excipis, quae a. 438 de codicis auctoritate data est. Quum igitur praeter fastos testem habere nullum videremur, quo certiores fieremus, non Byzantini Aetii<sup>130)</sup> esse hunc consulatum, paululum haesitavimus, quum praesertim Sigisvultum collegam occidentalium fuisse partium evidentissimum sit,<sup>131)</sup> raroque accideret, ut esset eiusdem imperii uterque. Sed quum viderem, consulem

ultimo fragmento praefationis legitur, quamquam ob stare videtur, quod haec Gothorum clades inter recentes Aetii victorias habetur. Qui enim recens potuit dici victoria, quam ante sex annos reportaverat? Sed, ne ad ea recurramus, quae Cicero de significatione vocis recentis disserit (Tusc. III. 31.), non de eo tempore dicere mihi videtur Merobaudes, quo scripsit, sed quo audivit nuntium. Eius verba haec sunt: „nemo enim de fama dubitat, quoties vicisse te nuntiat. (Videtur legendum esse nuntiat.) Delatus ego in angusti litoris sinum — — nactus sum quendam, qui se tuis recentibus gestis interfuisse memoraret. Gothorum, inquit, manus universa cum rege exierat Romana populatum“ etc.

130) cfr. diss. I. §. 3. Eum anno 454 consulatu functum esse constat. Cfr. Leg. Novell. Marciani tit. IV. not. I.

131) Prosp. a. Val. IV. — Novell. Theod. tit. XLIV. de tironib.

anni 436 utrumque Orientis fuisse, iam fides habenda fuit fastis, qui a. 446 Aetium consulem tertium habent. Itaque verum est, Aetium nostrum anno 437 fuisse consulem iterum. Eodem anno Valentinianus iter suscepit Constantinopolin, ad ducendam in matrimonium Eudoxiam, Theodosii Imperatoris filiam;<sup>132)</sup> eoque absente summae rerum Aetius consulis nomine praefuit. Inde in provinciam rediit.

### XII. Alanis agri assignantur et Burgundionibus.

Pacatis Gallis Aetius Alanorum, quorum auxilio usus erat, parti agros desertos assignavit circa Valentiam, parti dividendos cum incolis ad Ligeris ripam, per quos fluminum transitus defenderentur.<sup>133)</sup> Accedebat etiam altera

132) Prosp. — Marcell. Com. ad a. 437. — Socr. VII. 47. superiori anno nuptias celebratas esse refert.

133) Prosp. Pith.: Deserta Valentinae urbis rura Alanis, quibus Sanhida praeerat, partienda traduntur. Haud multo post: „Alanis, quibus terrae Galliae ulterioris cum incolis dividendae a Patricio Aetio traditae fuerant etc.“ Abbatu du Bos (Bouq. I. f. 639. not. q.) placuit, pro Valentia urbe scribere Aurelianam: 1) certum enim esse, Alanos non ad Rhodanum habitasse, sed ad Ligerim. 2) Valentiam non in

causa, securitas rerum, qua L. Sulla, C. Caesar, Triumviri veteranis agros dederant. Haud multo post (a. 443) Burgundionum reliquias finibus Romanis recepit; quibus Sabaudia data est.<sup>134)</sup> Eos supra vidimus ab Aetio devictos et pace donatos; brevi post ab Hunnis tanta clade affecti sunt, ut rege ab hostibus occiso Aetii gratiam peterent.<sup>135)</sup>

Gallia ulteriori sitam esse. — Nihil opinor esse mutandum. Alanos ad Ligerim incoluisse, quamquam locum, quo nitatur, du Bos non adscripsit, ex Iornande (de reb. Get. c. 43.) constat. Quid? Si in America Angli habitare dicuntur, num Anglia vacua est Anglis? Mira conclusio, quum praesertim *partem* Alanorum Iornandes ipse dicat. Licet igitur alteri loco Valentiam urbem, alteri Galliam ulteriorem illaesam relinquere. Quodsi accurate rem perpendisset du Bos, fugere eum non potuisset, aliud quoque inesse discrimen, quo appareret, de duobus et iis diversis partibus Alanorum dictum esse. Alteri enim deserta rura traduntur, alteri agri dividendi cum incolis, qui si tam pauci fuissent numero, ut eorum agri dicerentur deserti, profecto bellum tantum non movissent.

134) Prosp. ad a. 443. — cfr. Gibbon. c. 35. not. 11.

135) Leo (Univ. Gesch. II. p. 31.) duas Hunnorum expeditiones confudit, de Attilae in Galliam incursione (a. 451.) scribens: Kundichari, der König der Burgunder, aus Gibih's Geschlecht, hat um Frieden und erhielt ihn; aber bald nachher tödteten ihn die Hünen

Terrae, quam reliquerant ad Rhenum, partem Alemanni, partem Franci Ripuarii occupavere.<sup>136)</sup>

### XIII. Aetius Galliarum quodammodo rex.

Rarius hinc proximis annis apud scriptores chronicorum Aetii nomen. Primum enim post tot bella pax aliquando rediit, tum potuit iam omitti nomen, ubi nemo dubitaret, quae acta sint, non sine Aetio acta esse. Fretus barbaris antiquorum incolarum minus morabatur querelas. Cuius rei unum quod reperitur exemplum sufficiet. Alanis ad Ligerim agros datos esse vidimus; incolae cum iis sua dividere iussi arma capiunt, resistunt, expelluntur; barbari eorum agris vi potiuntur.<sup>137)</sup> Ita factum est, ut Aetius Galliarum

mit seinem ganzen Geschlechte und seiner Dienstmannschaft. — Etenim W. Grimmus, ad quem provocavit (Heldensage p. 70.) Prosperum sequutus, pacem ab Aetio, non ab Hunnis datam, non ignorat. — Annum, quo interfectus est rex, Chronica non referunt, nec scio unde haustum sit, quod apud Bouq. I. f. 631. not. a. additur: „i. e. anno insequente;“ nisi forte ex Idat. a. 437.: Burgundionum caesa XX millia. — Paulum Diac. vera confudisse falsis in libro de episc. Mettens. iam vidit Bouq. I. p. 649.

136) Hi sunt, quos Sid. Ap. pan. Aviti v. 324. 325 dicit.

137) Prosp. Pith. ad a. 442. — Hic Romane tibi petis salutem. Sid. Ap. ep. VIII. 9.

rex<sup>138)</sup> esse videretur et quae civilium essent magistratuum, haud sine Aetio instituerentur;<sup>139)</sup> nam et Comitibus munere fungebatur. Ita facile contentiones oriebantur cum magistratibus. Exemplum invenio apud Prosperum, qui forte, ubi de Leone diacono, papa creato, loquitur, absentem eum tum fuisse refert in Gallia „inter Aetium atque Albinum amicitiae causa redintegratae.“<sup>140a)</sup>

138) Talis posterioribus visus est: Vit. S. Aniani. Bouq. I. f. 645. Aetium patricium, qui sub Romano Imperio in Gallis temp. gubernabat. — auribus principalibus (Aetii) intimavit. — Vit. S. Germani. ibid. f. 642. vir magnificus Aetius, qui tum republicam gubernabat.

139) Documento est celeberrima de Hilario episcopo Arelatensi constitutio Valentiniani. Novell. Theod. tit. XXIV. a. — cfr. Bouq. I. f. 768. post superiora: Unde illustris et praeclara magnificentia tua praesentis legis edictalis auctoritate faciet, quae sunt superius statuta, servari. . . . Et manu divina: Divinitas te servet per multos annos Parens Carissime. — Data est ad Aetium V. Inl. Comitem et M. U. M. et Patricium.

140a) Fortasse minus certa haec sunt, quam mihi videntur. Albinus in legibus novell. inde ab a. 443 usque ad a. 449 dicitur P. P. iterum. Tillem. VI. p. 222. credit eum primum Galliae fuisse Pr. Pr. Quamquam enim hanc suam coniecturam parum nixam dicit (p. 627.) argumentis et ait: qu'il vaut mieux dire qu'il y a faute

Iter eodem tempore in Italiam fecit Aetius<sup>140b)</sup> fortasse eadem causa.

#### XIV. Bellum in Pyrenaeo monte gestum.

Auctor est Idatius, in Pyrenaeo tam Gallico quam Hispanico Bagaudas rebelles contra Romanos surrexisse, idque bellum primum Asturio, M. M., deinde eius genero Merobaudi commissum. Aetii nomen omisit. At Merobaudes ipse omnia tribuit Aetio,<sup>141)</sup> nec ullum hucusque maius ab eo bellum gestum esse demonstrat diligentissima descriptione locorum, quae ipse viderat, substructionum atque pugnarum. Asturius vicerat Tarraconenses; Merobaudes „breui tempore potestatis suae Aracellitanorum<sup>142)</sup> fregerat insolentiam Bagaudarum; mox

dans les loix, qui le qualifient Préfet pour la seconde fois avant l'an 446, mihi potior videtur conjectura, qua, quae tradita accepimus, salva sunt, quam qua mutantur. Postea Albinum eodem tempore cum Aetio summis muneribus fungentem reperimus, sed in Italia.

140b) Prosp. Pacatis motibus Galliarum Aetius 'ad Italiam regreditur.

141) Paneg. v. 16. 144 ff. Idat. ad a. Val. XVII. — v. Diss. I. p. 6.

142) Nomen nacti sunt ab oppido quodam haud procul a Pampelona sito, quod veteribus Araceli dictum, etiam-

nonnullorum invidia perurgente“ Romam revocatus rem absolvendam permiserat Aetio. Bagaudarum turba, e diversissimis gentibus conflata,<sup>143)</sup> inter montium angustias aequo Marti locum non dabat; contra naturam ipsam pugnandum fuit; castris vallisque inter medios montes muniti hostes diu resistebant, ingentibus turrium molibus exstructis; sed quum per anni spatium diu noctuque pugnatum esset, tandem et hos fudit Aetius; rebelles, discordes inter se, pars se dedunt, alii fuga quaerunt salutem.<sup>144)</sup> His negotiis confectis Aetius, consul tertium creatus, in Italiam redit.

---

num antiqui nominis vestigia refert, appellatur enim Huarte Araquil.

143) Merob. paneg. v. 155.

144) Iam rationes reddendae sunt, cur haec fragmenta potius ad bellum Pyrenaicum referenda mihi visa sint; ipse enim diu haesitavi, nescius meliusne de bello Armorico dicta viderentur. De Bagandis enim agi apertum est. Comparatur Aetius v. 144 et 199. cum C. Iulio Caesare, qui Teutonicum hostem (i. e. Gallos) tum ad bella rudem decem annis devicerit, quamvis magnis opibus virentis Romae adhibitis; Aetium uno anno vicisse homines iam mutatos et Romanis bello pares; gloriam igitur esse maiorem, praesertim quum natura ipsa regionis cum hostibus steterit. — Haec aequae bene in Armoricum tractum cadunt, et in regiones Pyrenaeas. At I) descriptio terrae et genus pugnae minus apta sunt Armorico.

**XV. De tertio consulatu Aetii et panegyrico Merobaudis.**

Aderat aliquando quaedam species pacis; neque enim eae tantum regiones, quas armis tuebatur Aetius, sed etiam reliquae in pacem videbantur omnes conspirare. Hunnorum reges facti erant, mortuo Rugila, Attila et Bleda fratres.

---

saxis quidem collibusque pleno, neque vero tantis praeruptorum montium rupiumque molibus intersecto, quantae hic dicuntur. Quod hoc loco ampla descriptione sine nomine regionis agitur, id v. 16. (vid. 3.) breviter repetitum est:

Hinc quoque, Tyrrhenis qua fluctibus ima resultat  
Gallia et aërii conscendens ardua montis  
Limite nimboso terras perstringit Hiberas,  
Nil nostri iam iuris erat. Sed belliger ultor  
Captivum reseravit iter clausasque recepit  
Expulso praedone vias etc.

2) Apud Armoricos duces invenimus, Tibatonem et alios, quorum nomina ignorantur (v. not. 122), at tantos, ut iis captis seditio componeretur. (Prosp.: Gallia ulterior Tibatonem principem revolutionis sequuta, a Romana societate discessit, in quo tracto initio omnia paene Galliarum servitia in Bagaudam conspiravere. Capto Tibatone, et ceteris seditionis partim principibus vinctis, partim necatis, Bagaudarum commotio conquiescit.) Contra Merob. paneg. v. 155 sqq. Nec signifer ullus illic turba fuit etc. 3) Quoniam eo fragmento, quod primum Nieubrius collocavit, rea

inde post Bledam necatum Attila solus, quo familiariter uti consueverat Aetius.<sup>145</sup>) Geisericus, qui Carthagine capta terrae marisque regem se appellabat,<sup>146</sup>) Siciliam quotannis fere et Italiae oras expilaverat, homines permultos in servitutum abstraxerat; vel Romae trepidatum est adeo, ut urbis munimenta reficerentur.<sup>147</sup>) Sed is quoque hostis infestissimus, quum Aetium iam a bellis expeditum videret, pacem cum Romanis instaurare eamque

---

ab Aetio gestae breviter ordine enumerantur, ut appareat, ubique pacem esse effectam, bellum Pyrenaicum ultimum positum est (v. 16 sqq.), quod proxime tertium Aetii consulatum praecedebat, in quem scriptus panegyricus. Etenim ex versibus extremis 186—197, quod Nieubrius non fugit, colligitur, post illa bella Merobaudem foederibus dicendis ad finem panegyrici properare.

145) De hac re mox plura. Quod ad Merobaudem pertinet, superest primi fragmenti ultimus versus his verbis: Undique iam Scythicis erepta furoribus hostem. Haec nisi omnia me fallunt de Hunnis coepta sunt ita, ut vv. sequentibus Romanorum Hunnorumque concordia per Aetium orta diceretur.

146) Theoph. chronogr. p. 87. ed. Paris. ap. Papenk. p. 75. not. 4. cfr. p. 231.

147) Nov. Theodos. Tit. XL. — Anno 440 Aetii auxilium expectatum contra Vandalos esse Nov. Tit. XX. testatur.

proprioribus <sup>148)</sup> vinculis firmare studebat, <sup>149)</sup> quae-rens Romanas nuptias. <sup>150)</sup> Quae quum ita essent, tertium consulatum Aetii Merobaudes panegyrico celebrat atque illustrat, ex quo quae supersunt perditarum partium faciunt desiderium. Quot autem et quanta deperdita sint, ne quis Sidonium Apollinarem respiciens velit iudicare, qui misero correptus studio doctrinae expromendae, ad remotissima saepe insulse atque absurde aufer-  
tur. <sup>151)</sup> Merobaudes, ut talibus temporibus ubique fere simplex ac pressus, uno tantum loco, ubi

148) Ita mihi videtur esse legendum pro proprioribus. v. 27.

149) Diss. I. p. 5. Merobaude non usum fuisse Papenkordtium dixi. Imprudenter. Nam huic loco p. 80. tribuit quod meretur.

150) Eudoxiam, Valentiniani filiam, ut videtur, petit filio in matrimonium. Nimis opinor audacter filium Niebuhrius dixit Hunericum, cui ex Iornande novimus nuptam fuisse Gothorum regis Theodorici filiam, de qua mox plura.

151) Documento sit Paneg. Maioriani v. 160 — 197. 260 — 265. 280 — 290. et versus, quos ei invadebunt qui geographiam puerulos versibus docent:

ibid. 208. Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Ma-  
trona, Sequana, Ledus,

Clitis, Alaris, Atax, Vachalis, Ligerimque  
bipenni

Excisum per frustra bibit.

verecundia aliqua atque circumspectione opus erat, quia res anceps agebatur et lubrica, maiores, ut ita dicam, adhibet apparatus. <sup>152)</sup> Lacunarum autem, quas iniusta manus carmini infixit, tria sunt genera. Primum, quum pluribus paginis constet codex, accidit, ut, ubi longiores essent versus, hic initium, illic finis abscinderetur; considerate ea Niebuhrius, cum sua, tum aliorum ope usus, et apte plerumque resarsit. <sup>153)</sup> Gravius iam exstitit damnum rescissis supra et infra versibus nonnullis, quos nulla opera restitues, quod solidi perierunt inter foliorum binas paginas. Neque tamen multa hac ratione excidisse facile e locorum ipsorum comparatione apparebit. Etenim carm. IV., cuius duo fragmenta, quae supersunt, duabus

ibid. 474 sqq. — — — Bastarna, Suevus,  
Pannonius, Neurus, Chonus, Geta, Dacus,  
Alanus,  
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites,  
Bisalta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata,  
Moschus.

152) v. 50 — 89. V. supr. §. 8.

153) Vitium ab ipso illatum v. 183. (Pars maturare fugam) iam tertia editio correxit (Pars properare fugam). Sed v. 192. pro Vulcano mallet Neptunum; doctius alterum quidem, sed ad rerum nexum aptius alterum. Etiam v. 194., quem infinitum reliquit, quod addidit *popu* — *lis* vix sibi constet.

paginis eiusdem folii conscripta fuisse evidentissimum est, inter versus quos Niebuhrius numerat 22 et 23 resecta quaedam sunt; quae quam pauca fuerint, quum eadem res post resecta continuetur, eadem fortasse, ut ita dicam, verborum constructione, quis non videt? <sup>154)</sup> Idem de lacunis inter vv. 73 et 74, vv. 120 et 121, vv. 170 et 171 affirmanti nemo obloquetur. Quod quum ita sit, concludendum est, etiam post v. 23 non multum exidisse. Tertium genus est id, quo tota folia perierunt. Ita factum est, ut de pueritia ac iuventute Aetii paucissima <sup>155)</sup> legantur, de bellis Gothicis, Francico priore brevissime memoretur. <sup>156)</sup> Quae autem exstant fragmenta Niebuhrius non quo debuit ordine collocavit; de qua re alio loco amplius dicam. <sup>157)</sup>

154) Verba haec sunt: (coniux)

Quae non ut Thetis anxium pavorem

20. Secretis Stygos abluit sub undis

Et natum trepidis anhela curis

Contra fata Deum metusque leti

Primaevos pueri recentis artus

Plenis numine fontibus rigavit,

25. Qua puri Deus arbiter lavacri etc.

155) v. 121 — 143. (cfr. *carm.* IV. 42). v. *Diss.* I. p. 18. not. 33.

156) v. 9 sqq.

157) Liceat, etiamsi proprius non sit locus, explicationem

**XVI. Bellum Aremoricum Aetio iubente per Alanos gestum. a. 448.**

Si quis credat panegyristae, tot bellis longam pacem impetratam esse arbitrabitur. Audiet superatos Gothos, Francos, Burgundiones, pacatas

addere versuum, de quorum sententia Niebuhrio non satis constitit. Is ed. III. versibus 5—7:

5. Addidit hiberni famulantia foedera Rhenus

Orbis et Hesperis flecti contentus habenis

Gaudet ab alterna Thybrin sibi crescere ripa. adscripsit haec: „de Rheno subacto non est poetae mendacium: constat enim Francos ad Rhenum ab Aetio ad obsequium redactos Burgundionesque devictos esse.“ De versu autem 7. „fateor, inquit, me huius v. sensum non assequi.“ Attamen legitur apud Weberum explicatio ni fallor Niebuhrii: „Rhenus gaudet ab alterna (utraque?) ripa Thybrin (imperium Romanum) crescere (augeri) sibi (in sua vicinia).“ Quam cur reiecerit non intelligo. Quid est enim in his difficile, nisi forte vox „alterna“ singulari numero posita eum offenderit. Quaeramus igitur, cur non dixerit ab alternis ripis, quale apud Statium *Silv.* I. 4. 35. (alternas servant praetoria ripas) invenitur. Si „utraque“ dixisset, bene omnia se haberent, sed ita non stareat versus. Quid si ad normam vocis „uterque“ voce „alternus“ usus sit? ut pluralem vitaret, ne ingratus antiquis sonus audiretur, qui te non fugiet:

Orbis et Hesperis  
Gaudet ab alternis

flecti contentus habenis  
Thybrin sibi crescere ripis.

Bagaudarum terras rebelles, fluviorum vada gentibus fortibus ac fidelibus munita, pace vincuntur Vandalum, Hunnum amicitia coniunctum, redditos aratro praedones, exsulesque gentes urbibus relictis. At iam gravia bella in Gallia exarserunt; <sup>158)</sup> nova Armoricorum rebellio orta est, progressi usque ad Ligerim, urbibus infestissimi, Turonensium civitatem obsidione cinxerunt; liberavit urbem Maiorianus. <sup>159)</sup> Quem subsequutus Aetius, con-

Ceterum et ad defendendam Niebuhrii ab ipso Niebuhrio explicationem et ad corrigendam [addo locos singulos Claudiani et Sidonii. — Ille de laud. Stilich.

II. 191. similia haec habet:

Grates Gallus agit, quod limite tutus Inermi

Et metuens hostile nihil nova culmina totis

Aedificet ripis: et saevum gentibus annem

Tibridis in morem domibus praevelet amoenis.

Sid. Apoll. Ep. VIII. 9. v. 44. Defenset tenuem  
Garumna Tibrim.

158) Hanc tot bella tibi requiem Romane dederunt! Merob.  
v. 42.

159) Sid. Ap. Maior. v. 210. — Errat Sirmondus, qui haec bello Litorii gesta esse arbitratur. Etenim gravissima argumenta, quibus bellum Francicum post annum 446 gestum esse probavit, cadunt etiam in hanc expeditionem, qua liberati Turonenses; tunguntur enim haec a Sidonio his verbis v. 212.

Post tempore parvo

Pugnastis pariter Francus qua Cloio etc.

citatus ad iram tot repetitis rebellionibus, Alano-  
rum <sup>160)</sup> regem Eocarichum immittit in hostes. <sup>161)</sup>  
Iam progrediuntur, ferarum instar caedibus ac  
rapinis miserrimam provinciam devastant; rebelles  
fracti intercessionem Germani Episcopi impetrant,  
qui tum forte redux e Britannia in illis locis com-  
morabatur. „Genti ferocissimae Regique idolorum  
ministro obiicitur senex unus; primum precem  
supplicem fundit, dein increpat regem differentem,  
equi habenas invadit, universum sistit cum rege  
exercitum. Ita mirabili audacia effecit tandem,  
ut pacis securitatem rex polliceretur, si venia,  
quam ipse praestiterat, ab Imperatore vel ab Aetio  
peteretur.“ At Germano Ravennam profecto, bar-  
barorum incursionibus vexati, rebellant miseri;  
frustra est, quod petit Episcopus, moritur Ra-  
vennae, <sup>162)</sup> Armoricum Alani diripiunt. Ita pax,  
quae dicebatur, restituta. <sup>163)</sup>

(Notandus Bouquet, qui versum 208. omitta Se-  
quana mutilavit.)

160) Non satis est, quod rationum attulerunt, qui pro  
Alanis Alamannos scribere volunt. Bouq. I. f. 643.  
Not. c.

161) Quae iam sequuntur, ex Vita S. Germani episc.  
Autessiodor. ap. Bouq. I. fol. 642 sqq. desumta.

162) cfr. Bedae h. e. III. 1. ap. Bouq. I. l.

163) Ad solitas ac consuetas in imperio Romano causas  
rebellionum accedebant in Armorico, niffallor, Bri-

**XVII. Franci vincuntur.**

Neque vero uno tantum loco tunc bellatum est. Britanni, iam Stilichonis tempore a Romanis relictis Aetium legatione petebant; a barbaris ad mare se pelli, mari ad barbaros; trucidari se, aut undis obrui.<sup>164)</sup> Miserum imperium, in quo pacem ubique simulant laudatores et quietem, vix minima parte relicta, quae Romanorum dici posset. Nam ne Galliae quidem parebatur. Dum Armoricos debellat Alanus, Francorum rex Cloio,<sup>165)</sup> qui tum Dispargi habitabat, exploratoribus praemissis, per Carbonariam silvam ipse insequutus, Tornacum atque Cameracum cepit, Romanos, in quos incidit, interfecit, post breve tempus, quo Cameraci sedem habuit, usque ad Suminam fluvium et Atrebatum fines progressus est.<sup>166)</sup> Ibi tanquam in media

tonum ex Anglia frequentes immigrationes, de quibus legendae historiae Angliae. cfr. Lappenb. I. p. 56 sqq.

164) v. quos laudat Lappenb. I. l. p. 61. not. I. —

165) Apud Sid. Ap. nomen legitur; alii Clodionem dicunt.

166) Greg. Turon. hist. Franc. II. 9 extr. — Eum sequuntur reliqui Sigeb. Gembl., Monach. Rorico, Monach. Aimo, quos invenies ap. Bouq. III. f. 334. f. 4. f. 39. Sid. Ap. Paneg. Mai. v. 211 sqq.

Post tempore parvo

Pugnastis pariter (Maiorianus et Aetius) Francus  
qua Cloio patentes

Atrebatum terras pervaserat. —

pace securos considerentes inopinato adoritur Aetius,<sup>167)</sup> choreas ducentes in nuptiis filii regis;<sup>168)</sup>

Habitabant Atrebates (Ἀτρεβᾶτοι Str. Ἀτρεβᾶ-  
τοι Ptol. — Atrebates. Caes. Plin. Sid. Ap.) eas  
partes, quas Dép. du Pas de Calais et de la Somme  
hodie dicunt. — Sirmondus (opp. Vol. I. p. 695. not.  
d. cfr. Bouq. I. p. 882. not. f.) duo afert argumenta,  
eaeque satis firma, quibus non Felice et Tauro cons.  
(427.) sed post annum 445 haec gesta esse probet:  
1) Maiorianum, si anno 427 dux copiarum inter-  
fuisset proelio, non potuisse post triginta annos  
consulem iuvenem appellari apud eundem Sid. Ap.  
[Locum non dixit, nec reperi; sed fides in his habenda  
Sirmondo.] 2) priorem illam expeditionem ad Rhe-  
num, hanc ad Atrebates et Helenam Vicum factam  
esse. — Cfr. diss. part. I. not. 86.

167) Quod Pagi crit. V. p. 512. (non 412, quod habet index)  
dicit „persimili plane modo olim Francos a Iuliano  
Apostata victos esse secundum Ammian. XX.“ [cap.  
10] de Francorum socordia bene comparatur: „Quos  
adortus subito nihil metuentes hostile nimiumque  
securos, quod scruposa viarum difficultate arcente  
nullum ad suos pagos introisse meminerant princi-  
pem, superavit negotio levi.“ Cetera minus con-  
veniunt.

168) Sid. Ap. l. l. v. 218.: fors ripae colle propinquo  
Barbaricus resonabat hymen Scythisque choreis  
Nubebat flavo similis nova nupta marito.  
v. 229.: rapit esseda victor  
Nubentemque nurum.

capitur nurus, Franci fugantur. Locum, quo hanc victoriam reportavit Aetius, Vicum Helenam dicunt.<sup>169)</sup> Hac clade accepta Galliam quidem reliquunt Franci, sed Tornacum Cameracumque, quae hac expeditione ceperant, et tenuerunt et usque ad Clodovaei tempora munitissimas sedes habuerunt.<sup>170)</sup> Maiorianum, cuius virtus nuper inclaruerat, aemulum timens Aetius domum dicitur dimisisse.<sup>171)</sup> Mortuo circa idem tempus Francorum quodam rege, dissidium inter filios ortum est de successione; quum alteri studeret Aetius,

169) Ubi maxime situs fuerit, disputatur. Repeto Bouq. l. f. 802 not. g.: „Sirmondus Savaronem sequutus Vicum Helenam putat esse Vetus Hesdinum Quantiae flumini impositum (Vieux Hesdin ad Fl. Canche). Utrumque refellit Hadr. Valesius, conicitque Vicum H. esse Lensium ad Deule, quod Lenense castrum dicitur Balderico hist. lib. II.“ — Ceterum uterque locus haud procul abest ab Azincourt.

170) Bouq. II. praef. f. XLII.

171) Si Sid. Ap. Pan. Mai. v. 143—305 sequaris, suadente uxore, ut eum interficeret. Fingit enim Aetii uxorem, praevidam rerum futurarum, aemulum filii tollere studuisse, Aetium magis generosum respondisse: ne sprevisse dolorem

Forte tuum videar, vivat careatque parumper  
Militia . . . Sic fatur et illum  
Rure iubet patrio suetos mutare labores.

alter ad Hunnos conversus, Attilae auctor fuit belli Galliae inferendi.<sup>172)</sup>

**XVIII. Aetii cum Hunnorum regibus commercium.**

Quoniam igitur ad Attilae expeditionem Gallicam atque celeberrimam Aetii victoriam perventum est, paulo altius res repetendae, ut intelligatur, quod inter utrumque fuerit coniunctionis vinculum diuturnum. Iam supra ter apud Hunnos commoratum fuisse Aetium diximus, primum obsidem, dein quum auxilium Ioanni, postremo quum sibi peteret atque impetraret. Plures illis temporibus Hunnis regnasse constat.<sup>173)</sup> Inde, post Ruae mortem,<sup>174)</sup> pars regni ad Bledam et Attilam, dissimillimos fratres pervenit.<sup>175)</sup> Ii primum iuncti reliquarum

172) Ex uberrimo fonte rerum hoc tempore gestarum, Prisco, vix guttae quaedam exiles supersunt. Ita fit, ut quis pater fuerit, quibusve Francia imperaverit, prorsus ignoremus. Locum ipsum posthac (not. 199.) exscriptum leges. — Nimia fiducia scriptorum quorundam de Merovaeco commenta sequutus est Gibbonus.

173) Cfr. supr. not. 109.

174) Prisc. frgm. á. p. 166 sq.

175) Quoniam aulae Hunnicae mores et fratrum ingenium ex his cognosci potest, exscripti Prisci nonnulla p. 225.

gentium Hunnicarum reges sibi subiecerunt; tum, fratre occiso,<sup>176)</sup> (a. 444.) Attila solus finitimis omnibus, maxime orientali imperio terribilis existit, cuius provincias usque ad Naissum sub sua tenebat ditio,<sup>177)</sup> extorquens ingens tributum, quod stipendiorum nomine pendebat Theodosius.<sup>178)</sup>

*Ζέρκων, Σκόθης* (legend. *Σκόθαις*) οὕτω καλούμενος, *Μαυρούσιος* τὸ γένος, διὰ δὲ κακοφύϊαν σώματος καὶ τὸ γέλωτα ἐκ τῆς τραυλότητος τῆς φωνῆς καὶ ὄψεως παρέχειν . . . . καὶ Ἀττήλας μὲν οὐδὲ τὴν αὐτοῦ ἤνεγκεν ὄψιν ὃ δὲ *Βλήδας* ἤσθη τε λίαν φθεγγομένῳ οὐ μόνον γέλωτος ἄξια etc. cfr. p. 206. τῇ γὰρ *Αἰθίοπων* τὴν τῶν *Ὀύννων* καὶ τὴν τῶν *Γότθων* παραμιγνὸς γλώττιαν πάντας διέχειν καὶ ἐς ἄσβεστον ὀρμηῆσαι γέλωτα παρεσκύασε, πλὴν Ἀττήλα. αὐτὸς γὰρ ἔμενον ἀσεμφῆς καὶ τὸ εἶδος ἀμετάρρεπτος καὶ οὐδὲν οὔτε λέγων, οὔτε ποιῶν γέλωτος ἐχόμενον ἐγαινέτο, πλὴν ὅτι τὸν νεώτατον τῶν παιδῶν εισιόντα καὶ παρεσῶτα εἴλκε τῆς παρεΐας, γαληνοῖς ἀποβλέπων ὄμμασι πρὸς αὐτόν.

176) Prosp. Theodos. XVIII. Albino Coss. — Marcell. Com.

177) Prisc. p. 147. p. 197 sqq.

178) Prisc. p. 201. νῦν μὲν γὰρ τὸ χρυσίον κομίζεσθαι παρ' αὐτῶν τῆς ἀξίας ἐνεκα . . . ἦν δὲ ἡ ἀξία . . . στρατηγῶ *Ῥωμαίων*, ἧς χάριν ὃ Ἀττήλας παρὰ βασιλέως ἐδέδεκτο τοῦ τοῖς στρατηγοῖς χορηγοῦμένον τὰς συντάξεις ἐκπέμπεσθαι. — Timebant Romani, ne cogerentur eum ἀπὸ στρατηγῶ βασιλέα προσαγορεύειν, si facerent quidquam, quod ei minus placeret.

Quem quum videret paratum ad omnia, quae iuberet, ne se irritaret, non bello, sed legatis missis,<sup>179)</sup> imperii opes exhaustit, iuvenes usque simulans causas, quibus amicos Constantinopolin mitteret. Tantus autem inerat in Imperatore Attilae metus, ut legatos omnes donis onustos dimitteret,<sup>180)</sup> haud ignarus, Attilam e redeuntibus, quid et quantum accepissent, sedulo sciscitari.<sup>181)</sup> Iam, si qui fideles essent ministri Imperatori, studebat aut sibi conciliare aut suspectos reddere domi;<sup>182)</sup> reis perfugium dabat<sup>183)</sup> dum sollicite,

179) Prisc. p. 145 sqq. γενομένων τῶν σπονδῶν Ἀττήλας ἀφίσις παρὰ τὸν εἶπος ἐπέμπε πρέσβεις φρυγάδας αἰτιῶν. οἱ δὲ τοὺς πρεσβενομένους . . . πλείους δώροις θεραπεύσαντες ἀπέπεμψαν, φρυγάδας μὴ ἔχειν φήσαντες· πάλιν ἐτέρους ἐπέμπε· χρηματισαμένων δὲ καὶ αὐτῶν τρίτη παρεγένετο πρεσβεία καὶ τετάρτη μετ' αὐτήν.

180) ibd. p. 146. ὅσους τῶν ἐπιτηδείων εὐποιεῖν ἐβούλετο, ἐπέμπε πρὸς αὐτὸς (τοὺς εἶπους) αἰτίας τε ἀναπλάττων καὶ προσφάσεις ἐγενερίσκων κενάς.

181) ibd. p. 149. πολυπραγμονῆσαι τὸν Ἀττήλαν, τίς τε αὐτῶν δώρεα καὶ ὅποσα παρὰ Ῥωμαίων δέδοται χρήματα.

182) id. p. 202. Quum Attila certos quosdam viros legatos sibi mitti vellet, responsum est: μὴ χοῖναι ἐπὶ τὴν πρεσβείαν τοὺς ἄνδρας καλοῦντα ὑπόπιους καθεστῆναι.

183) Prosp. Eudoxius. arte medicus, pravi sed exercitati

si quem ad Romanos sciret perfugisse e suis, reposcit.<sup>184</sup>) Minus notum est, quae Attilae et Occidentalis imperii rationes fuerint; quamquam et illuc legatos commigrasse constat.<sup>185</sup>) Ex his iam apparet, eum non bellis tantum et exercitibus, sed astutis consiliis ac machinatione suam suorumque rem egisse. Quae quo melius posset perficere, sollertium hominum ex Oriente atque Occidente comparatorum scholam congregaverat. Rusticium Moesum, bello captum, epistolis graecis praefuisse probabile est.<sup>186</sup>) Qui ab epistolis latinis essent, ab Aetio subministrati sunt Constantii duo. Alter, oriundus e Gallia, iam vivo Bleda missus,<sup>187</sup>) suis rebus nimium prospiciens, quum

ingenii, in Bagauda mota id temporis delatus, ad Hunnos confugit.

184) *ibid.* p. 168. οἱ δὲ παρὰ Ῥωμαίους καταφυγόντες ἐξεδόθησαν βαρβάροις, ἐν οἷς καὶ παῖδες Μάμα καὶ Ἀτακάμ, τοῦ βασιλείου γένους. Usitata haec Attilae causa legationum.

185) *Prisc.* p. 152. ἀφ' οὗ τῶν ἀμφ' αὐτὸν ἄνδρας ἐς τὴν Ἰταλίαν ἐπεμπεν. Nec res illa Silvani contorta ac difficilis (*Prisc.* p. 186) sine legatis agi potuit. *cfr.* not. 191<sup>b</sup>.

186) *Prisc.* p. 207. καὶ διὰ λόγων ἀρετὴν τῷ βαρβάρῳ ἐπὶ τῇ τῶν γραμμάτων διαπονουμένου συντάξει.

187) *Prisc.* p. 186. ὑπογραφέως χάριν.

post iter Roman susceptum proditionis nomine esset suspectus, cruci affixus est.<sup>188</sup>) Neque vero eo minorem Aetio fidem habuit Attila; nam quum a. 448. Theodosius legatos ad Regem mitteret, inter quos Priscus fuit, qui haec descripsit, inciderunt in legationem Occidentis, quam alter comitabatur Constantius, natione Italus, idemque ab Aetio scribae nomine missus,<sup>189</sup>) quem adeo gratum fuisse comperimus regi, ut opulentam ei Constantinopoli uxorem compararet. Quemadmodum autem Aetius apud unum priorum regum fuerat obses, ita filius apud Attilam Carpilio.<sup>190</sup>) Eviden-

188) *ibid.* l. l. *cfr.* not. 96.

189) *ibid.* p. 185 sq. p. 151. p. 176. p. 208. — Memorabilis sane legatio, cui interfuerint Tatullus, Orestis pater, avus Romuli Augustuli, Romulus Comes, Patavione, e Norica civitate oriundus, Orestis socer. Generum constat Attilae gratissimum fuisse et legationibus nonnullis functum Constantinopolin cum Edecone, patre Odoacris. *ibid.* p. 146. 149. 171. 173.

190) *Prisc.* p. 179. ἀπὸ τῶν Καρπιλέονος χρόνων, ὃς ἀμήρευσε παρ' αὐτῷ, παῖς ἦν Ἀετίου, τοῦ ἐν τῇ ἐσπέρῃ Ῥωμαίων στρατηγῶ. Quod, quamvis non possit post annum 448 accidisse, quo missa legatio est, quo maxime tempore fuerit, incertum est, neve quisquam confundat cum legatione, quam cum Cassiodori patre suscepit Car-

dissimum igitur est, magni factum ab Attila Aetium, cuius rei, ne dono missum Aetio turpissimum nanum Zerconem, quo unice delectatus fuerat Bleda, <sup>191a</sup>) commemoremus, haud contemnendum etiam hoc videtur esse documentum, quod nec tributum solutum ab Occidentali imperio novimus, et firmiter nec sine gravitate egisse invito Attila Italos

pilio. Cassiod. Var. I. 4. med.: „Sed ut se pares animi solent semper eligere, patricio Aetio pro iuvanda republica magna fuit caritate sociatus (pater). Ad Attilam igitur . . . cum supradicti filio Carpillionem legationis est officio non irritate destinatus.“ — Quae mox sequuntur probant, nec de hoc tempore dictum esse, nec absurdum esse opinari, propter pacis conditiones, quas suaserit Cassiodorus maior, relictum obsidem Carpillionem. — Ceterum miro quodam modo evenit, ut in antiqua Germanorum historia fabulari, Hagenonis, qui idem apud Attilam fuit obses, dein effugit, pater Agacius dicatur (Grimm, Deutsche Heldensage p. 88.); quod nomen haud procul abest ab ea forma nominis Aetii, quae apud Bouq. in vita S. Aniani (fol. 645.) legitur Aiecius, vel, quae propius etiam accedit Agecius. Fredegar. ap. Bouquet tom. II. p. 462 sq. Num mirum sit, si is, qui tot ac tanta negotia habuit cum Germanis, ex eorum memoria non prorsus exciderit?

191a) v. supr. not. 175.

scimus, <sup>191b</sup>) dum nihil audeat ultra querelas Theodosius. <sup>191c</sup>)

### XXX. Belli Muniti causae.

Subitam rerum mutationem mortes attulerunt. Anno 450 Theodosius minor, Orientis qui habebatur Augustus, . supremum diem obiit, quo defuncto summa rerum transiit ad Marcianum Pulcheriae nomine. <sup>192</sup>) Ad quem quum mitterentur qui tributum poscerent bellum minantes, nisi sol-

191b) Prisc. p. 186. *πρόσβεις παρὰ Ἀετίου καὶ τοῦ βασιλεύοντος τῶν ἐσπερίων Ῥωμαίων ἐξάλησαν, ὡς χρήστης Σιλβάρδος Κονζαντία γενόμενος τὰς φυάλας ἐνέχυρα καὶ οὐ φώρια λαβῶν ἔχει . . . ἐκπέμπει τὸ ὑπὲρ αὐτῶν χρυσίον, τὸν Σιλβάρδον παραιτῶμενους· οὐ γὰρ ἐκδώσειν ἄνδρα ἀδικοῦντα οὐθὲν.*

Errant igitur, ni fallor. Schlosserus et reliqui, qui eandem Orientis et Occidentis conditionem fuisse arbitrantur.

191c) Quamvis enim quereretur *μὴ χοῖναι ἄνδρας ὑπόπτους καθιζῆν* (not. 182.), *μὴ χοῖναι πρόσβεις αἰτεῖν μεγίστης ἀξίας παρ' αὐτῶν διαβῆναι* (Prisc. p. 170.) tamen et quos et quales Attila postulabat, Theodosius delegabat. simulac bellum rex minatus est.

192) Baron. tom. VI. p. 117. cfr. Pagi crit. tom. II. p. 317. VIII.

veretur, non amplius ratum haberi, respondit; quiescenti se dona daturum, bellum minanti obiecturum viros et arma, ipsius opibus non inferiora.<sup>193)</sup> Eodem tempore ab Occidentali aula quoque repulsam tulit. Nam quum Silvanum usurarium, cui irascebatur, sibi dedi posceret, ut reum, ad supplicium<sup>194)</sup>, in matrimonium autem Honoriam, Valentianiani sororem, cum Imperii parte dimidia, responsum est, nihil illum in se admisisse, quod poena dignum esset, hanc collocatam alii, nec moris esse, ut mulieres imperarent.<sup>195)</sup> Iam igitur despectum se ac pro nihilo habitum opinatus, quum vias ac rationes deficere animadverteret, quibus commodissime procerum et popularium et alienigenarum animos sibi conciliaverat rerum novarum cupidos, armis rem agere constituit, id solum perpendens animo, utri prius imperio bellum inferret.<sup>196)</sup>

## XX. Cur prius Occidentem Attila invaserit.

Bellum adversus Occidentem et maius visum est et facilius. Quid enim gloriosius, quam Aetium

193) Prisc. p. 151.

194) v. not. 191b. — cfr. Gibbon. Vol. VI. init. ed. Bas. Schlosser. III. 3. p. 224 — 231.

195) Prisc. p. 151. 152.

196) Prisc. p. 151.

vincere, qui tot per Gallias reportatis victoriis clarus, solus rempublicam suis humeris sustinebat? Quo superato Italiam stare non posse sibi persuadebat. Foedera igitur iniit cum Francis et Vandalis. Geisericus enim Romanorum pacem sibi fatalem futuram providens et Theodoricum, Gothorum regem, ad quem filiam, Hunerici filii coniugem, proditionis suspectam, amputatis naribus auribusque truncatis remiserat, ne cum Romanis se iungeret metuens, monebat, ut Gothos per Galliam aggrederetur.<sup>197)</sup> Francorum gentem quandam, rege defuncto, in partes discessisse propter filios, supra commemoravimus.<sup>198)</sup> Maior Hunnorum auxilium petiit, minorem Aetius adoptatum Romam misit.<sup>199)</sup>

197) Haec accurate Iornandes de reb. Get. c. 36, cui, ne nimiam fidem habere videamur soli, non omittendae sunt Prisci verborum reliquiae p. 152. *πρὸς δὲ Γότθους χάριν Γεζερίχου κατατιθέμενον.* Ut multa (cfr. Prisc. p. 199. p. 223 sqq.) ita eo quoque, quae de Attilae cum Genserico commercio Iornandes narrat, e Prisci libris videtur hausisse. Vix enim dubium esse potest, quin Priscus (utinam integrum haberemus) quemadmodum ea, quae ad Francos spectant et Honoriam, uberius exposuit, sic in Vandalorum rebus enarrandis sibi non defuerit.

198) §. XVII. extr.

199) Prisc. p. 152. *ἢ ὄν κατὰ τὴν Πάμην εἶδομεν πρεσβεύμενον, μήπω ἰούλου ἀρχόμενον, ξανθὸν τῆν*

**XXI. Belli apparatus.**

His sociis firmatus Attila nihilominus, quae erat eius indoles, insidiis struendis exitum certiorum reddere tentavit; suadens Imperatori, rem sibi esse cum Gothis, Gothos, ne Aetium adiuvarent, simili commento avertibat.<sup>200)</sup> Et paene effecit, quod voluit; nisi Aetius permovisset Avitum, cui plurimum tribuebant Gothi,<sup>201)</sup> ut, quem vi non posset ad armorum societatem compellere, eum familiari tentaret persuasione. Is itinere Tolosam, ad regiam sedem, suscepto, effecit, ut Theodoricus neque domi exspectaret hostem, ut voluerat,<sup>202)</sup> nec partem copiarum mitteret, sed cum duobus filiis Thorismundo et Theodorico atque

κόμην (cfr. Sid. Ap. Pan. Mai. v. 220), τοῖς αὐτοῦ περιεχυμένην διὰ μέγεθος ὤμοις· θετὸν δὲ αὐτὸν ὁ Ἀέτιος ποιησάμενος παῖδα καὶ πλείεσσα δῶρα δόδος ἅμα τῷ βασιλεύοντι ἐπὶ γιλίᾳ καὶ ὀμαιοχρίᾳ ἀπέπεμψε· τῶν ἕνεκα ὁ Ἀτιλάς τὴν ἐκστράτειαν ποιοῦμενος. etc.

200) Prosp. Marciano Aug. et Adelfio coss.: Bellum, quod Gothis tantum se inferre etc. Cetera apud Iorn. de reb. Get. XXXVI.

201) Idem est, quem a. 455. Augustum creavit Theodoricus filius.

202) Sid. Ap. Pan. Avit. v. 331 sqq.

universa fere gente egrederetur<sup>203)</sup>. His quas ex Italia addiderit copias Aetius, exignas sane fuisse facile tibi persuadeas;<sup>204)</sup> nam Lacti, Burgundiones Sabaudici, Breones ad lacum Brigantium incolentes, vix cum Gothorum multitudine componas; qui autem praeter hos enumerantur Armorici, Saxones (circa Baiocassium sedes habebant), Alani, et Francorum pars, propter locorum situm demum in mediam Galliam progresso Aetio accessisse putandi sunt.<sup>205)</sup> Ducebat contra hos Attila Hunnorum et subiectarum sibi gentium innumerabilem multitudinem,<sup>206)</sup> ex qua Ostrogothi, qui tribus fratribus parebant, ipso

203) Satis mihi visum est Sidonium sequi, (v. 330) quam Iornandem.

204) Sid. Ap. l. l. v. 328 sqq. vix liquerat Alpes Aetius, tenuc et rarum sine milite ducens Robur, in auxiliis Geticum male credulus agmen Incassum propriis praesumens adfore castris.

205) Quos dixit Sarmatas, eos Alanos fuisse opinatur Bouq. ..Aliaeque nonnullae Celticae vel Germanicae nationes." Iorn. XXXVI. Nimium festinans Iornandes in mediam rem, in campos Catalaunios, nos ducit, omisso itinere.

206) Iorn. l. l. — cfr. Spruner histor. geogr. Atlas Tab. II. Sid. Ap. Paneg. Av. v. 320. Errat Schlosserus, qui III. 3. p. 233. not. i. Marcomannos, Suevos, Quados, Herulos, Turcilingos hoc loco commemoratos a Sidonio referat. Nec intelligo. cur Francos propter metrum dictos credat.

etiam rege cui tunc serviebant, nobilioribus,“ et Gepidae clarissimi, quorum rex Ardaricus „fide et consilio clarus,“ ut Valamir, Ostrogotha, „secreti tenax, blandus alloquio, doli ignarus,“ summam habebat apud Attila auctoritatem.<sup>207)</sup> Francorum partem cum Hunnis stetisse scimus, itemque Burgundionum qui relictis erant in Germania, quum in Sabaudiam plurimi transmigrarent; Alanos, quibus sub Aetio Sangipanus rex praeerat, ad defectionem noverat inclinare.<sup>208a)</sup> Apparebit quidem ex iis, quae iam narraturi sumus, victoriae laudem magis ad Gothos quam ad Aetium pertinere; neque vero eo minorem Aetii virtutem arbitror, non quod vicerit, sed quod ausus est resistere et quod suis consiliis effecit ut posset resisti.

**XXII. Pugna in Campis Catalaunicis committitur.**<sup>208b)</sup>

Pannonia Germaniaeque peragratis, quarum gentes, iam diu superatae Attilae parebant, Rhenum, qua Francis foederatis proximus erat, navibus ad

207) Iorn. r. Get. XXXVI.

208a) Iorn. r. Get. XXX.

208b) Haec, quoniam ab optimis scriptoribus diligentissime composita sunt, breviter ita, ut quod ad Aetium pertineat non omittatur, enarrabimus. Praeclare om-

id exstructis traiecit,<sup>209)</sup> in Belgicam agmen effunditur. Metensium civitas concrematur, capto Viroduno diripiuntur Treviri, Tungri vastantur.<sup>210)</sup> Inde praeter Parisios profectus<sup>211)</sup> Aurelianum civitatem, ubi Ligeris transitur, petit, Sangipani et Alanorum sisus fraudi, in praesidium illic collocatorum. Ei urbi Episcopus S. Anianus praeerat. Is imminente excidio ad Aetium profectus Arelatem, effecit, ut iter maturaret; tum rediit. Iam conditionibus factis urbem Hunni intraverant, quum in conspectum venit.<sup>212)</sup> Attila, quo aptiorem

nia Gibbonus cap. 35. (Versionis novae Germanicae Sporschillii [Lips. 1840] Vol. VII. p. 20 sqq.) Quod integro honore, quo Gibbonum prosequor, dictum sit, quae affert, ut Attilae orationem vere esse probet, quam Iornandes tradit, nugae mihi esse videntur; collem, unde impetum in Hunnos fecit Thorismundus, non credo in Hunnorum tergo fuisse.

- 209) Sid. Ap. Pan. Mai. v. 325 sqq. cecidit cito secta bipenni Hercinia in lintres, et Rhenum texuit alvo.
- 210) Aimoni Mon. Flor. de Gest. Franc. I. 6. Idem iisdem verbis, sed Metensium civitate omissa, referunt Chron. de St. Denis I. 6. et Siegb. Gembl. ap. Bouq. III. 30. 159. 335. — Paul. Diac. de episc. Mett. ibid. I. p. 650. — Idat. ad a. 451.: Plurimae civitates effractae. — Prosp.: Sed quum . . . saevissimos eius impetus multae civitates Gallicanae experirentur etc.
- 211) Vita S. Genovefae cap. III. ap. Bouq. III. p. 369.
- 212) V. S. Aniani ap. Bouq. I. f. 645. Sid. Ap. ep. VIII. 15. Greg. Tur. hist. Fr. II. c. 5.

pugnae haberet locum, paululum regressus, in campis Catalaunicis, quos et Mauriacos dicunt,<sup>213)</sup> Actium et Gothorum regem exspectat. Nec mora. Capto colle, quem Hunni frustra petebant, firmiores Gothi; proelium insequitur „atrox, multiplex, immane, pertinax, cui simile nulla usquam narrat antiquitas, ubi talia gesta referuntur, ut nihil esset, quod in vita sua conspiciere potuisset egregius, qui huius miraculi privaretur adspectu.“<sup>214a)</sup> Nihil arte agitur, omnia manu ac numero. Quamvis enim certo quodam ordine disposuissent copias ita, ut Attila medios ducens, Alanos obvios haberet, per quos frangere aciem hostium tentabat, Theodorico Ostrogothae obiicerentur, Actio et Romanis, quos parvi pendebat, Gepidae, tamen Theodorico interfecto tanto furore in Attilam ipsum irruebant Gothi, Thorismundo in patris locum succedente, ut inter septa castrorum, quae plaustris vallata habebat, regrederetur. Pro sua

213) Iornaudes l. l. cap. XL. — Cfr. liber ex quo uberimum iuvenes percipiunt fructum: Historisches Lesebuch von Dr. K. Fr. W. Lanz. Lipsiae 1839. Tom. II. p. 14 — 19.

214a) De loco conscripsisse quaedam Kosegartenium in Archiv für Geographie. 1811. No. 82 sqq. memorat Fiedler. (Gesch. d. röm. Staates u. Volkes. ed. III. p. 476. not. 61.) De numero caesorum leges, quae congressit Pagius II. p. 325.

parte Actius lacrum cornu fudit fugavitque, sed quum nimis insisteret fugientibus, quid de sociis factum esset ignarus, noctem sine pugna transiegit.<sup>214b)</sup>

### XXIII. Quid post pugnam gestum sit.

Quum illucescente die novum impetum Hunni non auderent, Gothorum et Romanorum victoria esse visa est. At „velut leo venabulis pressus, speluncae aditus obambulans, nec audet insurgere, nec desinit fremitibus vicina terrere, sic bellicosissimus rex victores suos turbabat inclusus.“ Quod quum animadverterent, non vi posse regem sic munitum superari, fame domare constituunt. Thorismundus a suis rex salutatur; patris ulciscendi cupidus, tamen regni sibi firmandi cupidior, ne a fratribus domi relictis circumveniretur, Tolosam

214b) Sidon. Apollinaris pugnam prorsus omisit quamquam soluta oratione conscribere quae circa Aurelianam civitatem gesta sunt, promiserat amico cuidam. Ep. VIII. 15. Igitur solum habemus testem Iornandem. Brevissime reliqui omnes. Greg. Tur. hist. Fr. II. 6. Chronica. — Quod a Fiedlero l. l. not. 62. laudatur de prima expeditione Attilae regis Hunnorum in Gallia ac rebus gestis Waltharii carmen epicum saec. VI. ed. F. C. I. Fischer. Lips. 1780. 4. frustra quaesivi.

regreditur.<sup>215)</sup> Quod quamvis Aetii consiliis factum esse probabile sit, metuentis simul, „ne Hunnis funditus intererentis a Gothis Romanorum premere-  
tur imperium,“ non dubito, quin satis copiarum Aetio reliquerit. Qui enim fieri potuisset, ut post Gothorum cunctorum discessum, ubi cum solo Aetio, etiam victoria debilitato, pugna relicta erat, cedendum sibi Gallia Attila arbitraretur?<sup>216)</sup> Quae autem proxime consequuta sint, fere nescitur; subito enim Attilam ingens spatium itineris emensum Aquileiae obsidioni intentum reperimus.<sup>217)</sup> Haec gesta sunt anno 453.

**XXIV. Attila Italiam invadit et moritur.**

Nondum fractus animo Attila, sed cladis memoria concitatus, ex campis, in quibus pugnatum

215) Iorn. cap. XLII. Greg. Tur. hist. Fr. lib. II. 6. Donum ab Aetio fertur accepisse mensam, quam dicunt Salomonis, de qua mira narrant Arabes, quorum loci exscripti sua lingua leguntur in Lembkii Gesch. v. Span. Vol. I. p. 421 sqq. cfr. Aschbach Gesch. der Ommajj. Vol. I. p. 38. p. 44. Hammer Gemäldesaal. Vol. II. p. 128.

216) Nisi dementes omnino et Aetium et Attilam fuisse credamus, frustra aliter Aetii consilia et Attilae discessum intelligere studeas.

217) Iorn. c. XLIII. Greg. Tur. I. l. c. 6. Cassiod. chron.

est, usque ad Treccasium deducto exercitu,<sup>218)</sup> ad Rhenum deflectit, quo traiecto redit per Germaniam in Pannoniam haud quieturus, sed ut maiorem etiam terrorem iniiceret Romanis. Subito enim per Alpes in eam partem Italiae, quae Alpibus Carnicis et Iuliis a Norico Pannoniaque dividitur, redintegratis copiis prorupit,<sup>219)</sup> Aquileiam, quamvis diu et fortiter defensam, cepit, totamque planitiem circum Padi ripas sitam usque ad Ticinum devastavit. Quum audiret, Marcianum ad Pannoniae fines aggressum, dubius priusne Romam peteret, an patrias sedes defenderet, ad Mincium castra posuit. Interea Valentinianus, imminente periculo non nimis perterritus, reiecto fugae consilio, quod suasisse ferunt Aetium, legatione hostem deprecabatur. Summi viri delecti, inter quos eminebat Leo Papa,<sup>220)</sup> etiam superstitione ten-

218) cfr. Vita S. Lupi ap. Bouq-

219) Habet quaedam nova de hac expeditione Historia quae dicitur Miscella, quam omnino sequutus est Sigonius de Imp. Occid. Opp. tom. I. p. 195 sqq.

220) Saepe quaesitum est, cur neglecta Roma, quae defendi non poterat, in Pannoniam rex redierit. Vix ad morbos confugiamus oportet, quibus affectos Attilae milites perhibent; sufficiunt, quae diximus. Narrat Priscus, Attilam hominibus summis muneribus fungentibus aut functis honorem tribuisse, obviam ivisse, ne longo itinere fatigarentur, multa denique concessisse. Prisc.

tatum Attilam permovere, ut domum rediret.<sup>221)</sup>  
Denunciabat igitur bellum Marciano,<sup>222)</sup> etiam

p. 213. ἐδόκει παρὰ τὸν Ἀττίλα πρᾶσβεύεσθαι Ἀνατόλιον καὶ Νόμον, τὸν μὲν Ἀνατόλιον τῶν ἀμφὶ βασιλείᾳ ἔρχοντα τελεῶν (i. e. M. M. praesentalem) καὶ τὰς συνθήκας τῆς ἐκείνου εἰρήνης προθέμενον, τὸν δὲ τοῦ μαγίστρου τιμὴν ἔρχοντα καὶ ἐν τοῖς πατρικίσις σὺν ἐκείνῳ καταλεγόμενον, οἱ δὲ τὰς ἀρχὰς ἀναβεβήκασιν πάσας . . . . αἰδοῦ τῶν ἀνδρῶν ὃ Ἀττίλας, ὥστε μὴ τῷ τῆς ἰδοῦ ἐπιτρέβεσθαι διαστήματι, ἐκείνῳ τῷ χωρῶ πρὸς αὐτοὺς ἐποίησατο ἔντεξιν . . . φυλάττειν τὴν εἰρήνην ἐπώμνεν . . . . ἀναχωρεῖν δε τῆς τῷ Ἰστροῦ ὀριζομένης Ῥωμαίων γῆς . . . . καὶ αἰχμαλώτους ἄνευ λότρου ἀφῆκε πλείστους Ἀνατολίῳ τε καὶ Νόμῳ χαριζόμενος, δωρησάμενος δὲ καὶ ἵππους αὐτοῖς καὶ θηρίων δορὰς, αἷς οἱ βασιλῆιοι κοσμοῦνται Σκύθαι ἀπέπεμπε. cfr. not. 191c. Iorn. XXXIV. Bellorum quidem amator . . . . sed supplicantibus exorabilis. — Exemplis probat Priscus.

221) Ita Prisco auctore narrat Iorn. C. XLII. : „Alarici — — oblicentes exemplum, veriti Regis sui fortunam, quia ille post fractam Romanam diu non supervixerat, sed protinus rebus excessit humanis.“ — Ferunt etiam Ducem Albam memoria Comitum Stabull Caroli Burbonis anno 1557 ab invadenda Roma deterritum esse.

222) Prisc. p. 153. 9'.

Italiae minans novam expeditionem, nisi Honoria traderetur. Sed brevi post supremum diem obiit.

### XXV. Aetius occiditur.

Quid interea Aetius gesserit, incertum; queritur Prosper, quod nihil ab illo dignum rebus superioribus actum sit; quamquam, quid obstiterit, ne gentes, quibus in Galliis usus fuerat, Attilae in Italia obiceret, facile intelligitur. Nec vero minus Imperatoris gratiam meritus est dispositionibus nescio quibus, quas lex quaedam laudat.<sup>223)</sup> Refert post priora Prosper, convenisse inter Aetium et Imperatorem, ut liberi connubio iungerentur.<sup>224)</sup>

223) Novell. Valent. Tit. XXXVIII ad Firmin. Pf. Pr. It. et Patric. Haud male Muratori (Hist. Ital. III. p. 178. version. Germ.) de rebus, quae ad aerarium pertineant, Imperatorem loqui opinatur.

224) Non dubito, quin de ea re iam Merobaudes loquatur. Paneg. 45 — 49 haec habes:

Post lauros rediere togae meritumque sequuti

Alta triumphorum relegunt vestigia fasces;

Nec certare valent: vincit sua praemia virtus:

Successumque labor superat: Quae munera facti

Acta viri pensare queant? An nomina rara. . . .

Reliqua resecta. Sed quid post talia dixisse putandus est Merobaudes? Ter dicit minora esse praemia laboribus. Iam quaerit, quod dignum praemium

Erant autem Imperatori filiae Eudocia et Placidia, reliqua progenie virili Theodosii magni praeter unum Valentinianum iam extincta. Sed quum Aetio essent filii duo, Carpilio et Gaudentius, ferebat quodammodo rerum natura, ut Imperatoris filiabus nobilissimi post ipsum clarissimique coniuges expeterentur. Theodosio magno data Galla, Stiliconi Serena, sic Thermantia, deinde Maria, Stiliconis filiae, nupserunt Honorio; Constantio Illyrico, ignobili loco nato, at rebus gestis claro, collocata ab Honorio Placidia soror, unde genitus Valentinianus; itaque vix superbiae insolentiaeque fuisse putabitur, quod regium filiis connubium Aetius expetiverit. Igitur „post promissae invicem fidei sacramenta, post pactum de coniunctione filiorum dirae inimicitiae convaluerunt. Unde fuit gratia caritatis augenda, inde exarsit fomes odiorum, in centore Heraclio spadone, qui ita sibi Imperatoris animum insincero famulatu obstrinxerat, ut eum in quae vellet impelleret. Cum ergo Aetius placita instantius repetit et causam filii communis agit, Imperatoris manu et cir-

sit. Id certe insolentiae fuisset, si nullum esse dixisset, quo tanti viri tanta merita satis digne ornarentur; id igitur in his consilium fuisse opinor, quo aut quod iam placuisset Imperatori, collaudaretur, aut significaretur, fortasse suadente Aetio, quid superesset faciendum.

cumstantium gladiis crudeliter interfectus est, Boethio, Pf. Pr., simul interfecto, qui ei multa amicitia copulatus erat.“<sup>225)</sup>

#### XXVI. Veterum de Aetio iudicia.

Quamquam non omnis aetas Tacitos habuit, nec Ammianos, tamen etiam brevi post Aetium vixerunt ac scripserunt Sidonius Apollinaris, Cassiodorus, Renatus Frigeridus, Iornandes, Gregorius Turonensis, qui saepissime Aetii mentionem fece-

225) Ita diserte rem narrat Prisci continuator, quem qui sequitur, Procopium reiiciat necesse est, qui pro more suo res mutasse videtur de bello Vand. I. 4. Nimis breviter Greg. Tur. hist. Fr. II. 8. extr. „eum nullis causis extantibus interemit.“ Sid. Ap. Pan. Av. 359. Aetium Placidus (i. e. Valentinianus. cfr. Merob. carn. I. v. II.) mactavit semivir amens. Pan. Mai. v. 305. Principis interea gladio lacrimabile fatum Clauserat Aetius. — De morte Valentiniani mox insequuta differt Gregorius a Prosperi continuatore: hic refert „egressum extra urbem Principem et ludo gladiatorio intentum confossum esse cum Heraclio, nullo ex multitudine regia ad ultionem tanti sceleris accurrente;“ Ille „Imperatorem, dum in Campo Martio pro tribunali residens concionatur ad populum, ab Oecylla, Aetii buccellario, (cfr. Olympiod. ed. Bonn. p. 149 extr. p. 150.) interentum“ dicit.

runt honorifice; ita fit, ut Merobaudem, cui propositum fuit laudare, negligere possimus, ubi iudicium de Actio faciendum est. Audiamus unum instar omnium Renatum Frigeridum, <sup>225b)</sup> qui eum, quasi oculis viderit, his verbis describit: medii corporis, virilis habitudinis, decenter formatus quo neque infirmitudini esset, neque oneri: animo alacer, membris vegetus, <sup>226)</sup> eques promptissimus, sagittarum iactus peritus, <sup>226b)</sup> conto impiger, bellis aptissimus, <sup>227)</sup> pacis artibus celebris, <sup>228)</sup> nullius avaritiae, minimae cupiditatis, <sup>229)</sup> bonis animi praeditus, nec impulsoribus quidem pravis ab instituto suo devians <sup>230)</sup>, iniuriarum patientissimus, laboris adpe-

225b) ap. Greg. Tur. hist. Franc. II. 8.

226) Merob. pan. fr. I. extr. Nec immerito te ita communem alacritati ac labori, labore ac potestati natura formavit etc.

226b) Cfr. not. 33.

227) ibd. v. 98. non proelia mandat, sed gerat.

228) ibd. fr. 2. iam vero praeter Martios labores etc.

229) ibd. v. 100. Quem non praeda docens auri que insana  
cupido

Cogat inexhaustis animum permittere curis,

Sed ferri laudandus amor.

230) ibd. v. 102. Latii que cruoris indocilis. — Cfr. quae Sid. Apoll. de Aetii uxore narrat, quae eum ad perniciem Maioriani incitabat: not. 171.

tens, <sup>231)</sup> impavidus periculorum, famis sitisque atque vigiliarum tolerantissimus. <sup>232)</sup>

### XXVII. Conclusio.

Accidit saepe, ut post mortem vel egregiae virtutis virorum vehementer quidam multa vituperarent; Actio nemo veterum fuit qui male dixerit. Quod si quis obiiciat, tot bellis gestis victoriisque reportatis pacem tamen non esse firmatam nec rempublicam stabilitam, quo minus Aetii laudes, is tempora queratur, neve arguat Aetium. At si verum est, quod ferunt, per Imperium Romanorum eo adductas res esse, ut tot gentes diversissimae quas subegit, tot populi linguis, moribus institutisque discreti et locis dissociati, quos iisdem vinculis amplexum est atque continuit, unum se esse idemque genus tandem aliquando sentirent, quo via muniretur Christianae doctrinae

231) Merob. fr. 2. si quid a bellis vacat, aut situs urbium, aut angustias montium, aut plana camporum, aut fluminum transitus. aut viarum spatia metris, atque ubi quis pediti. quis equiti accommodatior locus etc.

232) ibd. fr. I.

atque ad omnium animos patefieret iter: consensaneum est, Aetium non tantum Reipublicae Romanae, sed universo mundo totiusque salutis generis humani natum esse et conservatum.

## THESES.

- 1) Procopium de bell. Vandal. l. 3. falsa narrare.
- 2) Merobaudis fragmenta a Niebulrio non recte esse disposita.
- 2) Non multum referre, liber Genesis sitne a Mose conscriptus an non sit.